

numerorum falsitate: tum etiam quod textus uerba omnino neglexerunt/euenisse/neminem latere puto. De quibus nos solliciti/tabulas neca Ptholemaei uerbis discrepantes/& nauigationibus omni ex parte correspondentes descripsimus.

*Annotatio in septimam Europae tabulam. De Sicilia insula.*

In septima uero Europae tabula Siciliam insulam describentes: priorum numeros: ne in aliorum incideremus errorem: omnino dimisimus. Textus etiam uerba: quae de graeco exemplari ita nobis fuerit interpretatus: quod rationi conuenire iudicauimus: aliqua ex parte imutauimus. Legitur per omnia latina exemplaria: Septentrionalis lateris medium: quod acutissimum est: & maxime ad boream tendit: diciturque Pelori promontorium &c. Deinde legitur Occidentalis lateris &c. Quae lectio si recte aduertatur: facile falsa esse deprehenditur. Vnicum enim promontorium: Pelori scilicet: uniuersum septentrionale latus terminare non potest. Neque occidentale latus illud appellandum est: quod post Pelori promontorium ad Lilybeum usque extenditur: cum meridionali recte opponatur: quod, scilicet, a Lilybeo ad Pachinum est. Neque dandum aliquibus est quod ab eis dicitur: Siciliam tria tantum habere latera. Hoc enim licet a Strabone: Polibio: Mela: aliisque antiquioribus dicatur: ab eis tamen Ptholemaeum hac in parte dissentire censemus: qui Siciliam describens quatuor eius latera ponit: Dicit enim Sicilia ambitur ab occasu & septentrione mari Tyrrheno. A meridie Afro. Ab oriente Adriatico pelago. Nos itaque occidentalis lateris descriptionem: inferius iuxta Drepanum promontorium transferendam esse: atque ubi septentrionalis lateris medium legebatur: septentrionalis lateris descriptio: legendum esse duximus. Idque tum graeco exemplari suasi: tum & ratione impulsim: egimus. Non potest enim Pelori promontorium septentrionalis lateris medium dici: imo uero eius extremum: ut in tabulis omnibus intueni licet: tenet. Neque occidentale latus illud est appellandum: quod recte meridionali opponitur: uerum septentrionale. Neque occidentali latere carere debuit Sicilia: cum a Ptholemaeo dicatur ipsam ab occasu & septentrione tyrrheno ambiri pelago. His itaque obseruatis Siciliae littora nauigationibus nostris respondetia descripsimus. Quae Ptholemaei etiam uerbis optime respondere/manifestum fecimus. Neque ob id antiquis scriptoribus figura nostra aduersatur/dicentibus ipsam triquetram esse/ac tribus tantum lateribus contineri: quandoquidem non adeo exacte trigonam figuram huic eos prebuisse crediderim/ut omnes omnino eius angulos acutos esse uoluerint.

*Annotatio in Quartam Africae tabulam. De Aethiopia interiori/sinuque Hesperio.*

Vellem praeterea ab iis qui in quarta Africae tabula interiorem Aethiopiae describere rationem mihi aliquam redderent: cur occidentale ipsius latus/terra incognita/ad meridianum usque per intulas fortunatas traiecit/produca/terminauerint. Erroris quippe huius numeros causam fuisse/dicere nequeunt. Nullis enim id numens agitur. Verba et textus ad illud minime inducunt. Sic enim libro quarto legitur: Praeterea parte oceani occidentalis iuxta magnum sinum ab occasu: & a meridie terminatur terra incognita. Vbi terram incognitam/a meridie tantum: non ab occasu/ponere uidetur: ut recte consideranti patet. Quamuis autem extrema interioris aethiopiae pars/quae ad occasum est/terra incognita sit/quod nulla ibi ciuitas nullaque flumina aut mons nominetur/quae admodum Ptholemaeus libro septimo capite quinto/uniuersae habitabilis terminos ponens/dixit: Aut enim/Ab occasu est terra incognita: quae Africae aethiopicum sinum cingit: & deinde occidentali oceano quae ultimis occidentis partibus adiacet &c. non tamen propterea terram illam incognitam/ad ultimum usque occidentis meridianum/producere oportuit. Dicit enim Ptholemaeus terram incognitam cingere/ideest complecti/& continere sinum aethiopicum: non ultra ipsum/produci. Neque id est rationi consonum est. Non enim magnus erit sinus ille Hesperius/quod eius nomine significat (magnus enim & hesperius sinus appellatur) si ad ultimum usque occidentis meridianum/terra illa incognita producat. His itaque rationibus impulsim/latus illud occidentale/non terra incognita/sed magno illo hesperio sinu terminauimus: ipsumque uere magnum fecimus. Atque ita Ptholemaei uerba/nostri temporis nauigationibus/atque locorum illorum notitia/nobis superioribus annis a Lusitanis tradita/optime respondent. Ausi enim se Lusitani/cum loca illa ignota essent/fortunae credere/& incognita explorare/marina/plurima inuenere/quibus illi & aeterna sibi gloria/& nobis ac posteris omnibus iucundam nouae rebus cognitionem peperere.

*Annotatio in Tertiam Africae tabulam. De Alexandria deque uniuerso Maris aegyptiaci littore.*

Alexandria etiam/in tertia Africae tabula/qui ante nos tabulas describere/gradibus uno ac semis supra triginta/ab aequinoctiali circulo distantem locauerunt. Parallellum uero per Alexandriam gradibus triginta cum tertia tantum ab eodem aequinoctiali distantem signauerunt. Quae in re mirum id est/parallellum in debita ab ipsis distantia/uerbisque Ptholemaei respondentem/qui in primo libro capite xxxiii. dicit octauum parallellum (Hic autem est qui per Alexandriam scribit) horis duabus/gradibusque triginta cum tertia/ab aequinoctiali distare/notatum esse: Alexandria uero a qua parallellus ipse denotatur, ultra ipsum parallellum producta esse. In omnibus enim id obseruari debet/ut ea loca a quibus parallelli denotationem sumunt/ab eisdem interfecerint. Quod si usque alias/in parallelo per Alexandriam obseruari par est: quod ab hoc uniuersa fere Ptholemaei pedeat geographia. In octauo enim libro distantias locorum omnium semper ad Alexandriam refert. Nos itaque ad ipsum eius parallellum/Alexandriam/omnemque maris aegyptiaci littus contraximus. Quod non modo Ptholemaei sententiae conformem esse/sed nostri et temporis nauigationibus omni ex parte respondere conpertum habemus.